

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod duplex est integritas. Una quæ attenditur secundum perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse rei; alia quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio est quedam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de secunda integritate matrimonii, & non de prima.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam exposuit integritatem matrimonii quantum ad utramque perfectionem, quia res ex suo actu innotescit.

Ad tertium dicendum, quod res non pervenit ad finem suum nisi per actum proprium: unde ex hoc quod finis matrimonii non habetur sine carnali commixtione, ostenditur quod sit de secunda integritate, & non de prima.

Ad quartum dicendum, quod ante commixtionem carnalem est matrimonium in remedium ex gratia quæ in eo datur, quamvis non ex actu, quod pertinet ad integritatem secundam.

EXPOSITIO TEXTUS.

CUM alia sacramenta post peccatum, & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino. Videtur quod de matrimonio debuerit determinare ante ordinem: quia prius est quod animale est quam quod spirituale est, ut dicitur I. Corinth. xv. Et dicendum, quod quamvis sit primum in via generationis, tamen in via sanctitatis, & perfectionis est posterius: & ideo illud sacramentum quod habet minimum de spiritualitate, ultimo debet inter sacramenta ordinari.

Una de costis ejus sumpta, & exinde muliere formata. De hoc dictum est in II. Lib. dist. xviii.

Propheticè dixisse; ut propheta referatur ad mysterium Christi & Ecclesiæ, quod prævidit, non ad usum mulieris (1) quæ solo sensu percipi poterat (2) naturali ratione. Nec consequitur quod si incarnationis mysterium prævidit, suum casum præciverit, etiam supposito quod Christus non fuisset incarnatus homine non peccante: quia multa sunt quorum unum non est sine altero, quamvis unum sine altero possit intelligi.

Remedium habet, non præmium, scilicet accidentale, quale habet virginitas, scilicet aureolam.

DISTINCTIO XXVII.

Quæ sint consideranda in conjugio.

Post hoc advertendum est, quid sit conjugium, & quæ sit efficiens causa conjugii, & causa propter quam contrahi debeat, & quæ sint bona conjugii, & quomodo per ea excusetur coitus carnalis, & quæ sint legitimæ personæ ad matrimonium. Sunt & alia plura in matrimonio consideranda, quæ sub compendio perstringemus.

Quid sit conjugium.

Sunt ergo nuptiæ, vel matrimonium, viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuum vitæ consuetudinem retinens. Ad individuum consuetudinem vitæ pertinet quod absque consensu alterius neuter continentiam profiteri potest, vel orationi vacare; & quod inter eos, dum vivunt, vinculum conjugale permanet, ut alii se copulare non liceat, & ut invicem alter alteri exhibeat quod quisque sibi. Hac autem descriptione legitimorum, & fidelium tantum matrimonium includitur.

De consensu qui efficit conjugium.

Efficiens autem causa matrimonii est consensus, non quilibet, sed per verba expressus, nec de futuro, sed de præsentibus. Si enim consentiant in futurum, dicentes: Accipiam te in virum, & ego te in uxorem: non est iste consensus efficax matrimonii. Item si consentiant mente, & non expriment verbis, vel aliis certis signis, nec talis consensus efficit matrimonium. Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus; obligatio illa verborum, quibus consentiant dicentes: Accipio te in virum, & ego te in uxorem: matrimonium facit.

Auctoritatibus probat quod solus consensus facit matrimonium.

Quod autem consensus matrimonium faciat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Isidorus: (a) „Consensus facit matrimonium.“ Item Nicolaus Papa: (b) „Sufficiat solus secundum leges eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur: qui solus si forte in nuptiis defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.“ Item Joannes Chrysostomus: (c) „Matrimonium non quidem facit coitus, sed voluntas: & ideo non solvit illud separatio corporis.“ Item Ambrosius: (d) „Non defloratio virgi-

(1) *Al.* quæ consensu percipi &c. (2) *Nicolai:* seu naturali ratione. Ex Edit. P. Nicol. (a) In Isidoro non occurrat, sed tantum Lib. I. etymol. vel origin. tit. de conjugii, inde sponsum & sponsam dici, quod in iura matrimonii consentirent. (b) Primus ad consulta Bulgarorum cap. 111. & habetur in Decret. causa xxvii. q. 11. cap. Sufficiat, cap. Matrimonium, cap. Cum initiatur, & cap. Coniux. (c) Sive Auctor operis imperfecti homil. xxxii. in Matthæum. (d) Lib. de institutione virginis cap. vi.

nitatis facit conjugium, sed pactio conjugalitatis. Ex his apparet quod consensus, id est pactio conjugalitatis, matrimonium facit, & ex tunc conjugium est, etiam si non præcessit, vel secuta est copula carnalis.

Quando incipiat esse conjugium.

Quod enim ab ipsa desponsatione, in qua pactio conjugalitatis exprimitur, conjuges sint, Sanctorum testimonia probant. Ait enim Ambrosius (ut supra) „Cum initiatum conjugium, conjugii nomen asciscitur; cum conjungitur viro, conjugium est, non cum viri admixtione cognoscitur.“ Item Isidorus, ut supra. „Conjuges verius appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalitatis cubitus.“ Item Augustinus, Lib. I. de nupt. & concup. cap. xi. „Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat agnitus: nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, (1) ubi non fuerat, nec futura erat carnalis commixtio: propter quod fidele conjugium ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solum illa mater, sed etiam ille pater ejus, sicut coniux matris ejus; utrumque tamen mente, non carne.“ Ex his evidenter insinuat, quod ex tempore quo intercedit consensus voluntarius, ac maritalis, qui solus conjugium facit, veri conjuges sunt sponsus, & sponsa.

Secundum quosdam non est conjugium ante carnalem copulam, sed sponsi, & sponsæ sunt.

Quidam tamen asserunt, verum conjugium non contrahi ante traditionem, & carnalem copulam, nec vere conjuges esse aliquos antequam intercedat commixtio sexus; sed à prima fide desponsationis vir sponsus, & mulier sponsa est, non coniux. Sponsus autem, & sponsa conjuges frequenter appellari dicunt, non quia futuri sunt, sed quia futuri sunt; cujus rei sponsonem invicem fecerunt: & secundum hoc verba præmissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

Quæ ratione nituntur.

Quod vero inter sponsam & conjugem plurimum intersit, ex eo adstruunt, quia licet sponsæ ante carnalem copulam inconsulto, vel nolente sponso monasterium eligere: quo facto, sponso etiam licet aliam ducere: conjugatus vero, vel conjugata nec continentiam nisi ex communi consensu servare valet, nec monasterium petere, nisi uterque continentiam pariter profiteatur. Quod vero licet sponsæ monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. Ait enim Eusebius Papa: (e) „Desponsatam puellam non licet parere, tamen licet sibi monasterium eligere.“ Item Gregorius: (f) „Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo penitus (2) censuerunt damno multari.“ Refert etiam Hieronymus, (g) quod Macarius inter Christi eremitas præcipuus, celebrato nuptiali convivio, cum vespere thalamum esset ingressurus, ex urbe egrediens transmarina petiit, & eremi solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. His auctoritatibus, & exemplis liquet licere sponsis sine consensu suarum sponsarum, & è converso, continentiam profiteri.

Quod conjugatus, vel conjugata nequeant continentiam profiteri sine alterius consensu.

HOC autem conjugatis nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitæ propositum sumere sine uxoris consensu, & è contrario. Unde Gregorius scribens Theotice Patriarce: (h) „Sunt qui dicunt religionis gratia conjugia debere solvi. Unde sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, tamen lex divina prohibuit. Si vero utrisque continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic enim multos Sanctorum novimus cum suis conjugibus & prius continentem vitam duxisse, & post ad sanctæ Ecclesiæ regi in migrasse. Si vero continentiam quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat; conjugium dividi non potest, quia scriptum est, I. Corinth. vii. 4. Mulier potestatem suæ carnis non habet, sed vir: similiter & vir potestatem suæ carnis non habet, sed mulier. Idem: (i) „Agathosa latris presentium quæstæ est virum suum contra voluntatem suam in monasterium esse conversum: qua propter experientia tuæ præcipimus ut diligenti inquisitione discutias, ne forte ejus voluntate conversus sit, vel ipsa mutare se promiserit. Et si hoc repereris, & illum in monasterio permanere provideas; & hanc, sicut promisit, mutare vitam compellas. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod licet uxorem dimittere, prædictam mulierem commisisse cognoveris; ne illius conversio uxori relicta in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, etiamsi jam tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante. Quia nisi fornicationis causa virum uxorem dimittere nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione conjugii viri & mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte remanere in sæculo.“ Item ex VIII. Synodo: (k) „Si quis conjugatus converti ad monasterium velit, non est recipiendus, nisi prius à conjugate castimoniam proficiente fuerit absolutus. Tales ergo tunc sine culpa sequuntur Christum relicto

(1) *In edit. Nicolai:* ubi non futura erat, (2) *Al.* consueverunt.

Ex Edit. P. Nicol. (e) Tom. I. Concil. part. 1. & refertur in Decret. causa xxvii. quæst. 11. cap. Desponsatam. (f) Lib. VI. Epistolarum indict. xv. epist. xx. & refertur in Decretis loc. cit. cap. Decreta legalia. (g) Hæc appendix à Gratiano addita est post cap. Scripsit nobis ex Nicolao Papa sumptum; sicut & quod sequitur de Alexio. Non autem Hieronymi est; sed aliorum trium, qui Macarii Romani vitam conscripserunt, sicut in vitis Patrum videre est. (h) Lib. IX. Epistol. indict. iv. epist. xxxix. (i) Bod. Lib. epist. xliv. (k) Nec in verâ & legitima modo extat, nec in ea etiam quæ Photii pseudosynodus appellatur. Ex Basilio autem in Regulis rursus disputatis cap. xii. colligi potest, ut & causa xxvii. quæst. 11. cap. Si quis appendix notat.

„saeculo, si habent ex pari voluntate castitatis consensum. “ Item: (3) „Si vir, & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine consensu Episcopi fiat, ut ab eo singulariter provisio consentiantur loco. Nam uxore nolente, vel altero illorum, etiam pro tali re matrimonium non solvitur. “ Item Augustinus: (4) „Si abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuae imputabitur abstinentiae. “ Item Nicolaus Papa: (5) „Scripsit nobis (6) Thaberga Regina regia se velle dignitate, vel copula exui, & sola vita privata esse contentam desiderare: cui scripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam vir ejus Lotharius elegerit. “ Ex his patet quod conjugati sine communi consensu monasterium eligere, continentiam profiteri, vel habitum religionis sumere non valent: & si fecerint, revocari debent. Sponsi vero possunt sine communi consensu monasterium eligere. Unde videtur inter sponsum & sponsam conjugium non esse. Ideoque asserunt, a prima fide desponsationis conjuges appellari, non re praesentium, sed spe futurorum: quia ex fide quam ex desponsatione sibi invicem debent, postea efficiuntur conjuges. Praemissas autem auctoritates, quibus asseritur quod consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt, ut consensus, vel pactio conjugalitatis, non ante coitum faciat matrimonium, sed in coitu. Sicut enim defloratio virginittatis non facit matrimonium, nisi praecedat pactio conjugalitatis, ita nec pactio conjugalitatis, antequam adsit copula carnalis. Ex pactio ergo conjugalitatis sponsi, & sponsae fiunt ante coitum, in coitu vero efficiuntur conjuges. Facit enim pactio conjugalitatis ut quae prius erat sponsa, in coitu fiat conjux.

Responsio ad praedicta cum determinatione superiorum.

His autem ita respondemus. Fit aliquando desponsatio ubi est compromissio viri & mulieris de contrahendo matrimonio; non est autem ibi consensus de praesenti: & est desponsatio habens consensum de praesenti, idest pactio conjugalitatis, quae sola facit conjugium. In illa ergo desponsatione ubi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantum, & sponsae fiunt, non conjuges; & talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri, & monasterium eligere. In ea vero desponsatione ubi est consensus de praesenti, conjugium contrahitur; & ab illius desponsationis prima fide veri conjuges appellantur. Secundum hanc distinctionem desponsationis de sponsis varie loquuntur doctores.

Quomodo accipiatur sponsa in supradictis capitulis.

Aliquando enim sponsas vocant quae talem habuerunt desponsationem ubi fuit pactio conjugalitatis de praesenti; & illae vere conjuges sunt. Unde Gregorius (& habetur in Decret. causa 11. cap. „Si quis uxorem.“), „Si quis uxorem desponsaverit, vel subtrahaverit, quamquam postmodum, praeviente die mortis ejus nequiverit eam ducere in uxorem; tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio; & si inventum fuerit, factum separetur omnino.“ Item Julius Papa (ibid. cap. „Si quis desponsaverit.“), „Si quis desponsaverit uxorem, & subtrahaverit, & vel praeviente die mortis, vel intervenibus quibusdam causis eam non cognoverit; nec frater ejus, nec ullus de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in uxorem ullo umquam tempore.“ Item Gregorius (l) (ubi supra cap. „Qui desponsatam.“) „Qui desponsatam proximi sui puellam ceperit in conjugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes eis: quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam divinae legis mos est sponsas appellare conjuges, ut in Evangelio, Matth. 1. 20. Accipe Mariam conjugem tuam: & in Deuteronomio, cap. xxii. 25. Si quis alterius sponsam in agro, vel quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam, moriatur: quia uxorem proximi sui violavit; non quae jam uxor erat, sed quae a parentibus uxor fieri debebat.“ Ex his colligitur quod sponsae quaedam conjuges sunt ante commixtionem sexuum. Sed forte illud movet quod in fine capituli dicitur: „Non quae jam uxor erat, sed quae uxor fieri debebat.“ Quod non ita debet intelligi, quasi uxor vere non fuerit, ex quo pactio conjugalitatis intercessit; sed quia nondum traducta fuerat, nec res uxoria intercesserat, scilicet concubitus conjugalitatis.

Quod aliter accipiatur in his aliis capitulis sponsa.

Haec etiam sponsa est quae sic viro desponsata est ut non intercesserit consensus de praesenti, sed sponsio futuri; secundum quem modum illud decretum (m) intelligitur: „Si quis sponsam filii oppresserit, & post filius ejus eam duxerit; pater postea non habeat uxorem, nec mulier virum; filius qui patris facinus ignoravit, aliam ducat.“ Si conjux illa fuisset: quod utique foret, si in sponsalibus pactio conjugalitatis intercessisset, non permitteretur sponso aliam ducere. Moechis autem poena non nubendi ex rigore infligitur, ut alii terreantur. Item ex eodem (n) „Quidam desponsavit uxorem, & dotavit, & cum ea coire non potuit, quam clanculo frater ejus corrupit, & gravidam reddidit. Decretum est ut quamvis nupta non potuerit esse legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit; sed moechus & moecha fornicationis quidem vindictam suscipiant, licita vero eis conjugia non negentur. De illa dispensatione hoc intelligi debet ubi non fuit consensus conjugalitatis de praesenti, alioquin non liceret eis alia sorori conjugia. Secundum hoc etiam illud intelligi debet: (o) „Statutum est a sacro conventu ut si quis sponsam alterius raperit.“

(3) Nicolai: in alia Synodo Eugenii II. (4) Idem: de adulterinis conjugis Lib. I. cap. iv. vel expressius Chrysostomus hom. 1. in Psalm. l. (5) Idem: Carolo Regi scribens. (6) Idem: Thaberga. Ex Edit. P. Nicol. (l) Manu scripto Imperatoris. Sed nec apud Gregorium occurrit quod hic subjungitur, & in Decretis ubi supra, atque ex regulis consanguinitatis ab eo inscriptis Anselmus refert. (m) Concilii Tridentensis, ut habetur in Decretis causa xxvii. quest. 11. cap. „Si quis.“ (n) Tributensis Concilio eadem causa xxvii. quest. 11. cap. „Quidam.“ immediate ante illud quod jam proxime relatum est. (o) Quod in Decretis causa supradicta, & eadem quest. cap. „Statutum est.“ velut ex Concilio Toletano refertur. Sed in nullo Toletanorum Conciliorum inveniri appendix potest; haberi autem in Concilio Troslejano, pro quo fortasse quidam inusitata sibi voce perterrefactus Toletanum putavit reponendum. Habetur quoque Lib. I. Capitulum Caroli Magni cap. cv.

„puerit, publica poenitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat; & si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alteri non negetur.“ Apparet hanc fuisse desponsatam sine pacto conjugalitatis de praesenti; & ideo non fuisse conjugem, cui vivente sponso alteri nubendi licentia non negatur. Sunt enim quaedam nuptialia pacta de futuro, ex quibus sponsi, & sponsae vocantur, nec exinde conjuges sunt; & est pactio quaedam conjugalitatis de praesenti, quae sponsum, & sponsam etiam conjuges facit: & utraque pactio desponsatio, vel (7) sponsalia interdum dicuntur; proprie tamen sponsalia dicuntur quaedam solemnia pacta nuptialia.

Quare non statim tradantur sponsae.

De nuptialibus pactis, ubi est tantum sponsio futuri, ait Augustinus: (p) „Institutum est ut jam pactae sponsae non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam (8) non suspiravit sponsum dilatare.“

Quae sponsa sit vidua mortuo sponso, & quae non.

Est sciendum, quod illa sponsa quae tantum in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua, quia non fuerat vir ejus: unde si quis eam duxerit, ad sacros ordines conscendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Viduae enim maritus aequae sicut bigamus sacerdos fieri prohibetur. Ex tali autem copula nullus arceretur a sacris ordinibus.

Qui alterius sponsam eo mortuo ducit, ad sacros ordines accedere potest.

Secundum hoc intelligendum est quod ait Pelagius Papa de illo qui, mortuo sponso, ejus sponsam ducit in uxorem. „Nihil est (inquit) quantum ad hunc articulum attinet, quod ei obviet de canonicis institutis,“ quia ad sacros ordines promoveri valeat. Si vero talis sponsa fuisset inter quam & sponsum ejus consentientes non accederet, cum viduam duxerit. Non est ergo ambigendum quin solus de praesenti consensus conjugium efficiat, & exinde veri conjuges appellentur. Ideo post talem consensum, si quis alii se copulaverit etiamsi carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam revocandus est.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de institutione matrimonii, & significatione ipsius, hic incipit determinare de causis ejus: & dividitur in partes duas. In prima de causis constituentibus matrimonium; in secunda de causis honestantibus matrimonium, distinct. xxxi. ibi: „Post haec de bonis conjugii, quae sint, & qualiter coitum excusent, dicendum est. Prima in duas. In prima determinat de causa efficiente matrimonium; in secunda de causa finali ipsius, circa finem xxx. distinct. ibi: „Exposito quae sit causa efficiens matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam soleat, vel debeat contrahi matrimonium. Prima in duas. In prima determinat de causa efficiente matrimonium. In secunda ponit impedimentum illius causa, xxix. distinct. ibi: „Oportet autem consensum conjugalem liberum esse a coactione. Prima in duas. In prima ostendit quod consensus facit matrimonium; in secunda ostendit qualem oporteat esse illum consensum, distinct. xxviii. ibi: „Hic quari debet, utrum consensus de futuro, addito etiam juramento, conjugium efficiat. Prima in duas. In prima, praemisso de quo est intentio, diffinit matrimonium, ut causa effectui proportionata sumatur. In secunda ostendit quae sit causa matrimonii, ibi: „Efficiens autem causa matrimonii est consensus. Et haec dividitur in tres. In prima proponit quod intendit. In secunda probat propositum, ibi: „Quod autem consensus matrimonium faciat, subditi probatur testimoniis. In tertia excludit errorem, ibi: „Quidam tamen asserunt, verum conjugium non contrahi ante traditionem, & carnalem copulam. Et dividitur in partes duas. In prima prosequitur partes erroris eorum; in secunda excludit eum, ibi: „His autem ita respondemus. Circa primum tria facit. Primo ponit opinionem illorum falsam. Secundo ponit probationem ejus, ibi: „Quod vero inter sponsam & conjugem in IV. Sent. Tom. V. (7) In edit. Nicolai. desponsalia. (8) Al. deest non.

Ex Edit. P. Nicolai. (p) Lib. VIII. Confess. cap. 111.

plurimum intersit, ex eo adstruunt &c. Tertio ponit probationem eorum ad probationem pro veritate inductam, ibi: „Praemissas autem auctoritates... ita intelligi volunt.“

His itaque respondemus. Hic respondet ad probationem illorum positam, & circa hoc tria facit. Primo ponit distinctionem quamdam, qua praedictae auctoritates solvantur. Secundo probat illam distinctionem per diversas Sanctorum auctoritates, ibi: „Aliquando enim sponsas vocant quae talem habuerunt desponsationem, ubi fuit pactio conjugalitatis de praesenti. Tertio probat eam per rationes, ibi: „Et sciendum est, quod illa sponsa quae tantum in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua.“

QUESTIO I.

Hic est triplex questio. Prima de matrimonio. Secunda de sponsalibus. Tertia de bigamia. Circa primum quaeruntur tria. Primo. Quid sit matrimonium. Secundo. Utrum consensus sit causa matrimonii. Tertio. Utrum matrimonium possit solvi per religionis ingressum.

ARTICULUS I.

Utrum matrimonium sit in genere conjunctionis.

- 1. AD primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non sit in genere conjunctionis. Quia vinculum quo aliqua ligantur, differt a conjunctione ipsa sicut causa ab effectu. Sed matrimonium est vinculum quoddam quo matrimonio juncti ligantur. Ergo non est in genere conjunctionis.
- 2. Praeterea. Omne sacramentum est sensibile signum. Sed nulla relatio est accidens sensibile. Ergo

ma-